In praecedenti capitulo audivimus quomodo Christus ~~a Johanne fuit baptizatus~~ ~~in Egyptum est fugatus~~ a Johanne fuit baptizatus
Consequenter audiamus quomodo a diabolo fuit tripliciter temptatus
Post baptismum ductus est Jesus in desertum a spiritu
Ibi Jesus intravit in desertum ex spiritus sancti instinctu
Non enim est intelligendum quod duxerit eum per aerem
Sicut angelus abduxit prophetam in Babilonem
Sic etiam nec diabolus eum duxit super templum
Sed ut facilius intelligitur videamus per exemplum
Hoc verbum duxit non omni loco ~~ponitur pro ambulare~~ ponitur pro baiulare
Aliquando enim significat inductionem vel ducatum signare
Moyses duxit filios Israhel de Egypto
Non enim scriptum quod baiulaverit eos in dorso
Sic diabolus Christum non per aera ducendo baiulavit
Sed in forma hominis ei apparens verbis blandis secum ire persuasit
Christus autem qui temptationes sustinere volebat
Sibi consensit et secum templum et montem ascendebat
Voluit autem Christus ~~in~~ temptari pro nostra instructione
Et ostenderet neminem esse in hoc mundo sine temptatione
Si enim Christus filius dei a diabolo temptari voluit
Nullus putet quod sine temptatione vivere possit
Ubi forsan homo ab una temptatione liberatur
Statim alia sibi a demonibus preparatur
Quapropter Christus non est temptatus ab uno tantum sed a pluribus
Quia demones temptant nos vitiis multiplicibus
Et si hominibus deus sua et etiam angelorum custodia non dedisset
Nullus hominum temptationes evadere posset
Nam sicut in radiis solis plenus videtur esse pulveribus
Ita mundus iste plenus est demonibus
Et ideo si aliquem per temptationes cecidisse videamus
Ex intimo cordis sibi compati debemus
Non statim debemus eum ~~temptare~~ condempnare vel publicare
Sed peccatum eius occultare et excusare
Si autem non possumus excusare ~~fine~~ facti peccatum
Excusemus quantum possumus ipsius intentionem
Si autem tale fuerit quod nequiverit posse excusare
Debet quilibet in se considerare et sic cogitare
Quod quia defectus tibi similis accidisset
Si deus per gratiam suam te non custodisset

Capitulum xiii

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/speculum1436/0065
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg